

sapientia, placuit Deo per stultam prædicationem seruare credentes. Quandoquidem & Iudæi signum petunt, & Græci sapientiam quærunt: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis vero stultitiam, ipsis autem vocatis, tum Iudæis, tum Græcis Christum Dei potentiam, ac Dei sapientiam, &c. *Quibus omnib. quid præclarior, quid gloriosius, quid magnificentius, ad demonstrandam scientiæ crucis Christi excellentiam dici potuisset? Satis, existimo, confirmant hæc, quod dixi, relictam & solidam Iesu Christi crucifixi prædicationem, omnem ad æternam salutem necessariam cognitionem perfectè in se continere.*

*Quod ipsum, si in honorem Christi crucifixi, & ad excitandos multorum animos, ut qua par est, fidelitate, deuotione, & diligentia, hanc Dei sapientiam, in mysterio latentem, occultam, & præfinitam à Deo, ante secula, in gloriam nostram, mecum perpendant; si, inquam, id ipsum in hæc, ad Nobilitatem tuam <sup>αὐτοφωρίσσει</sup> paucis ostendere intendam: nec tuæ id Nobilitati, Christum crucifixum, quod certò scio, in pectore gerenti, molestum, nec pio lectori ingratum, aut inutile futurum omnino mihi promitto.*

*Extra omnem vero cōtrouersiam est, totam sapientiæ nostræ summam, quæ vera demum, ac solida sapientia censeretur, duabus his partibus consistere, Dei cognitione, & nostri.*

*Iam si probauerimus, historiæ passionis Dominicæ piam, & diligentem meditationem, & considerationem, hanc sapientiæ tum oculis, tum mentibus nostris ingerere: tum id quod diximus, imò quod ipse Dei opus, per os Pauli edixit, clarum, & demonstratum erit.*

*Vt itaque de cognitione Dei ordiamur; est equidem essentia Dei incomprehensibilis, ut sensus omnes humanos procul effugiat eius numen: at sicut reliquis operibus suis, certas gloriæ suæ notas, quæ omnes, etiam maximè rudibus & stupidis, qualis sit Deus, nimirum essentia æterna, immutabilis, omnipotens, sapiens, iusta, bona, misericors, sancta, &c. declarant, insculpsit ipse Deus: ita dubium non est, tantò Redemptionis opus, passione, & morte Christi peractum, hoc clarius, & illustrius nobis præstare, & exhibere, quanto reliquis Dei operibus in se maius est, & excellentius. Ideò passim in Scriptura, tanquam cæci, & ignorantes Dei reiciuntur, qui extra Christum, qui solus est splendor gloriæ, & character personæ ipsius,*  
ad cogni